

und das wahrhaft universelle Gebiet trefflichster Einrichtungen und Lehrmittel, die hier geboten werden. In dieser Ueberzeugung ruft denn der heil. Meister seinen Jüngern zu :

In omnibus igitur  
omnes magistram sequantur regulam.

(Wird fortgesetzt.)

## De sancti Martini loco natali et cultu

scripsit P. Remigius Sztachovics de S. Monte Pannoniae.

(Conclusio.)



Legenda Albensis et eius quatuor exempla affirmant Sanctum Stephanum „in loco cum theophilis consilio, iuxta fundum sancti praesulis in loco, qui sacer mons dicitur, ubi Sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat, sub titulo ipsius monasterium construere cepit“. Eadem ipsa verba transumpsit Hartvikus cap. VI. — Legenda maior cap. VIII. et omnes qui Hartviki legendam sequuti sunt. Quamvis autem de his modeste tacere potius, quam forte labilia statuere optaremus: tot tamen et tam gravia testimonia, quid ipsi de paterno fundo sancti praesulis censeamus, responsum postulare videntur. — Iam vero nihil nos absoni invenisse, dum de fundo illo sancti praesulis sermo incidit, protestamur. Legem illam Alexandri Severi, prout testatur Sulp. Severus: ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, ipse sanctus praesul quondam in seipso expertus est, dum prodente patre captus et catenatus, sacramentis militaribus implicatus est. Rationem legis explicat Lampridius in vita Al. Severi c. 58: „Sola, quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus donavit, ita ut eorum essent, si heredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent; dicens, atten-

tius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.“ Eadem lege coloniae militaris Sabariae et eius terminorum incolae tenebantur, ut dum speculam illam in monte Sabariae inquam custodirent, cum regione illa se suaque servarent. Proin illa supra adducta verba: iuxta fundum sancti praesulis . . . monasterium construere cepit, illud indicare volunt: fundum illum, qui Sancto Martino a parente suo hereditate obtigit, intra terminos terreni Sabariae separatim ita situm fuisse, ut fundo monasterii contiguus fuerit.

Porro iam enodanda sunt: cui tempori, cui Sabariae plagae illa Legendae verba convenient? — Diximus Legendam S. Stephani Regis desumptam esse de libro regio, neque textum huius in illis, quae Legenda transumpserat, (prout in Hartviko) alteratum fuisse, nisi authenticitatem et auctoritatem Legendae subruere nitamur, et in iudiciis repulsam passam fuisse proclamemus. Tardior forsitan, neque tamen post saeculum undecimum, Legendae huius ex libro regio exemplatio, nihil officit; textus enim Sancto Stephano regi coevus illaesus extitit, probatus regibus aequae ac pontificibus, custoditus sub vigili oculo quinque capitulorum, ad hoc privilegialiter constitutorum. — Quod vero plagam fundi sancti praesulis concernit, illud lectores advertere rogamus: Ecclesiam S. Martini ante 1137 nihil de Toryan; nihil ante 1235 in huic adverso quodam „Pycud“ possedissee, unde a meridie Sabariae contagio oriri potuisset. Sed neque ex parte aut medio Ruozti (Ravazd) conterminus nobis ille fundus esse quiverat, quum villam istam cum huius antiquissima ecclesia S. Willibaldi, Sancti Ladislai regis donatio de 1093<sup>1)</sup> Sancti Martini ecclesiae esse

---

<sup>1)</sup> In S. Ladislai regis decreto I. de anno 1093 cap. 38 (ed. Endlicher). haec occurrunt: De vigiliarum sanctarum observacione: „In hac nostra sancta synodo a venerabili rege Ladislao statutum est et ab universis collaudatum et canonizatum, ut vigiliae cele-

voluerit. Itaque superest residua plaga inter terminos „Ravazd et Ech“, pro basi amborum fundorum sibi vicinantium sumendo viam publicam, cum intermedia ibidem omnibus nota Valle Colomanni, ad quam in finibus septentrionalibus terreni Ravazd, de eadem via publica commodus patet ingressus. Hoc terrarum spatium occidentali fundo monasterii temporibus S. Stephani ad usque nostra tempora conterminum fuit; certe, citatis Legendae verbis congruum, tam ex ultro collatis literariis instrumentis cum plagis terrae Sabariae: quam etiam ex visis et erutis ruderibus singillatim 60 meter longarum romanarum aedium. Ex harum fundamentis duobus ultimis decenniis, materia aedibus struendis apta, plus centumviginti curribus ad S. Martini oppidum devecta est; nos ipsi de singulo genere laterum et imbricum, praesertim de illis hypocaustorum singula exempla ad nostri Jauriensis gymnasii musaeum deferenda curavimus. Adsunt inde sat numero (40) bullatae et florum figuras insculptae elegantissimae fibulae, nummi tertii et quarti saeculi sexaginta. Addimus, glebam fundi esse humum fertilissimam, cum fonte perenni saluberrimam aquam ubertim scaturiente.

Quoniam vero in defectu aliorum historiae fontium neque plebis rationabilis traditio negligenda est: hinc quae iuxta plebis scitum cum illa valle, monasterio et Colomanno (rege) intercedat relatio, memoriae tradere idoneum duximus. Iam quosquos de colonis singillatim interrogavimus: cur vallem illam Colomanni nomine appellarent, num aliquem conductorem terrae hoc nomine compellatum meminerint? interrogati iisdem verbis reposuerunt: „Quia dum Colomannus (rex) hic in arce (monasterium hoc nomine appellant) scholas frequentasset, ad hanc vallem procurrere et hic pensa sua ediscere

---

brentur beati Stephani regis et Gerardi martyris, quo die passus est, et tres dies ad festivitatem Sancti Martini.

amabat. Haec ab avis nostris scimus, qui illud non secus ab avis suis ita didicisse dixerunt. Vallis ista a memoria hominum semper Colomanni vallis compellata fuit. “ Verum enimvero nemo ista teruncii aestimet; quum enim hanc ipsam plebis traditionem omnium in archaeologia et historia praesertim Hungariae doctissimo praesuli Arnolde Ipolyi <sup>1)</sup> narraesemus, praeclarus hic vir gavisus est, hanc unicam in toto regno de Colomanno rege traditionem se edoctum esse; quaestionem illam de Colomanni studiis, sub cuius ductu factis agitatum finem attigisse, se quidem plene a plebe tot saeculis servatae traditioni subscribere, quod quidem plus una vice publice in doctorum virorum consessu contestatus est. Tanti viri auctoritate nisi, iam ipsi quaerendi periculum facimus: Si haec de Colomanno rege aevo illi conveniunt, an non congruit eidem Colomanno, qui tamen Hartviko auctor fuit scribendae vitae Sancti Stephani regis, iam in iuvenili aetate hic primum impulsus persensisse, ad pernoscendum penitius etiam Sancti Martini nativitatis locum; cui quidem regis desiderio Hartvikum satisfacisse videmus. (Cf. Hartviki, vita S. Stephani regis cap. I. et VI.)

Si quidem bullarium pontificum pro archiabbatia S. Martini tandem adornandum foret, nulli dubitamus in bullarii fronte Sancti Stephani diploma, secundo vero loco particulam Legendae Albensis, utpote primi diplomatis coevum commentarium inscriberemus. Utrumque autem instrumentum ullo unquam tempore a pontificibus vel in minimis retractatum, quin imo ratum habitum, confirmative transumptum fuit; et dum omnes desperatis rebus nostris a nobis defecissent, a pontificibus privilegia nostra propugnaculi instar defensa, et sic e mediis fluctibus potenti eorum manu erepti servatique sumus. Iam vero in bullis pontificum monasterium Sancti Martini de

---

<sup>1)</sup> Nunc episcopus Neosoliensis (Neu-Sohl, Beszterozebánya in Ungarn).

sacro monte Pannoniae in Sabaria audit, rationem reddente S. Stephano rege verbis illis: „propter reverentiam et sanctitatem ipsius loci“, tum et Legendae „qui sacer mons dicitur — ubi Sanctus Martinus orationis sibi locum assignaverat“. Resonat vero in ambobus vox pontificum: „Haec omnia, quae pius Rex e delegata eidem et successoribus per nos auctoritate in bonum ecclesiae fecit, nos rata habemus et confirmamus.“ Verum ne quis autemet, nos frustra in Sabariae nostrae qua loci nativitatis Sancti Martini defensionem operam impendisse, iam de bullis pontificum aliquot titulos subnectimus:

Paschalis (II. pp. de a. 1103.) „Dilecto fratri Petro abbati monasterii Sancti Martini in monte supra Pannoniam.“ Tum enumerando ecclesias abbatiae in spiritualibus subiectas: „In episcopatu Iauriensi ecclesiam S. Martini in Sabaria.“

Alexander (III. pp. de a. 1175.) „Dilectis filiis Reinerio abbati monasterii Sancti Martini in Monte . . . supra Pannoniam siti eiusque fratribus.“ Confirmat: „In episcopatu Geuriensi ecclesiam Sancti Martini in Sabaria.“

Alexander (III. pp. de a. 1180.) Dilectis filiis Simili abbati monasterii Sancti Martini supra Pannoniam siti eiusque fratribus.“ Confirmat „In episcopatu Geuriensi ecclesiam Sancti Martini in Sabaria“.

Urbanus (III. pp. de a. 1187.) „Dilectis filiis Simili abbati monasterii Sancti Martini supra Pannoniam siti, eiusque fratribus.“ Confirmat: „In episcopatu Geuriensi ecclesiam Sancti Martini in Sabaria.“

Innocentius (III. pp. de a. 1216.) „Dilecto filio Urie abbati Sancti Martini de Pannonia . . . In episcopatu Geuriensi Sancti Martini in Sabaria.“

Honorius (III. pp. de a. 1225.) „Dilectis filiis Urie abbati monasterii Sancti Martini supra Pannoniam eiusque fratribus . . . In episcopatu Iauriensi Sancti Martini in Sabaria.“

Gregorius (IX. pp. de a. 1232.) „Dilectis filius Urie abbati sancti Martini supra Pannoniam eiusque fratribus“ . . . Confirmat ecclesiam: „In episcopatu Iauriensi sancti Martini in Sabaria.“ <sup>1)</sup> Etc.

Itaque concinunt in praefatis natura ordinis S. Benedicti cum externa etiam traditione, quae in Legenda S. Stephani regis iam diplomaticae securitatis pondus praesefert, quum ex ipsis decretalibus S. Stephani hausta legenda illa Albensis et huius quatuor exempla, legis instar in iudiciis producta et agnita fuerant. Nec tamen haec solum inter se, verum amice concordant etiam cum regum nostrorum diplomatibus, et Romanorum pontificum bullis, ad quod demonstrandum libentes accingimur.

Dum superius de optione loci pro monasterio, ut nonnullis videbatur minus commodo, ageremus: periculum fecimus apposita quaestione: „Qui vero si utrinque (rex set praecones) mutua gratulatione functi sunt?“ Disertissime planissimeque his respondet carta S. Stephani (v. Dipl. II.): „presencium atque futurorum sollers comperiat intentio, quod nos interventu, consilio et consensu domini Anastasii abbatis de monasterio Sancti Martini in monte supra Pannoniam sito ab genitore nostro incepto, quod nos per Dei subsidium, ob anime nostre remedium, pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus . . .“; verum accessit iuxta Legendam etiam „initum cum theophilis consilium“, qui Anastasii vota in eligendo loco secundabant. Locum ipsum aedificati monasterii ait Legenda esse „iuxta fundum sancti presulis in loco qui sacer mons dicitur, ubi Sanctus Martinus dum

---

<sup>1)</sup> Illud quidem mirum, homines qui angelos aediculam transtulisse negant, sibi montem cum basilica et amplis circum aedibus toties, quoties Sabariae nomen recurrit, de provincia Iauriensi in illam Castri ferrei, se transferre posse arrogant. Sed gigantum vivimus tempora, qui si possint, coelum deturbaverint.

adhuc in Pannonia degeret, oracionis sibi locum assignaverat," quod cum primis respondet verbis illis S. Stephani: „Ante neminem vero abbatum capella incedat, nisi ante patrem eiusdem monasterii propter reuerenciam et sanctitatem ipsius loci, moreque episcopi in sandaliis missam celebret.“ Certe, utrinque mutua gratulatione functi sunt: praecones quidem grates habentes regi pro concessio loco, quem oratio Sancti Martini sacrauerat; rex vero dum S. Martino, sub cuius vexillo victor extitit, basilicam propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci gratanti animo fundando, voto in castris solemniter nuncupato solutus fuit. Iam diplomatis Stephanei authenticam confirmat vel ipsa in Simigiensi provincia per octingentos annos (usque 1848), sub ipso etiam Turcarum tristi dominatu, continuata decimatio, quam octingentis plura documenta, per octo saecula desumptam contestantur. Decimatio ista item iurisdictio spiritualis missionariis illis et eorum successoribus concessa, centum impetita, totidem vicibus a regibus et pontificibus transumpta, imo ab Innoc. III. et Gregorio IX. pp. consistoriali bulla honorata confirmataque fuerunt.

Sed prurit quoddam genus scriptorum, quos si adducta luce deputeris, actis improbo labore novis cuniculis, alio loco firma suffodere et se emergere nituntur. Similium insultibus ut nostri praecaverent, pudenter magis quam prudenter magni momenti Legendae particulam a publicatione velabant, praeprimis veriti eius quibus finit verba: „constituens ex omnibus eorum facultatibus tam stricte decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini cenobio daret.“ Iam vero et hic multum mitigatam poenam tenemus, ait enim *Legenda minor* cap. VI. „Illos autem, et posteros eorum usque in presentem diem servos ecclesie instituit postea impetracione optimatum suorum

consilium cepit, ut tantum decimas ex his que possidebant darent, ne afflicti disperderentur a terra.“ Componamus haec cum illis Caroli magni aut cum illis Wilhelmi conquisitoris, quae isti in miseros perduelles statuerunt, et clementem sui aevi principem agnoscemus. Idipsum et Chron. Posen. II. 2. 2. ait: „Nam universum populum in provincia Cuppan ducis degentem, decimas liberorum, frugum ac portarum suarum cenobio sancti Martini sanctus rex perpetuo dare decrevit.“ Adest vero etiam exemplum executae — at qua tenitate — legis. Operae pretium facimus, si verba illa urbarii, cuius fragmentum sub Dipl. IV. adiacet, adducimus: „In villa Gopoc sunt filii nepotis Nicolai, qui datus fuit in decimam; qui habet terram communem cum villa et unum mancipium;“ itque conditionarium istum, non servum reperimus, quippe qui ipse servum mancipium habuerat.

Haec quidem ad natalem locum S. Martini nostrae viciniae asserendum sufficerent: verum ad quaestionem omni dubio solvendam Geysae II. regis et regni optimatum, et praecipue Hervasii Iauriensis episcopi dioecesani testimonium ad huius rei confirmationem producimus (v. Dipl. III.) Anno 1157 Walferus comes in loco inhabitato et solitario montis Quizin (Gissing) provinciae Castriferrei monasterium cum ecclesia b. et gl. Virginis Mariae aedificavit „quod suis pertinentiis adornatum, ex gratia et praecepto regis et omnium, ut praedixi, totius regni primatum, assensu approbante; maxime autem ex voluntate et adiutoria benedictione praefati episcopi parochiani, monasterio S. Martini in sacro monte Pannoniae, ob reverentiam et sanctitatem ipsius loci, et propter B. Martini patrocinium, cuius natiuitate in eodem loco habita, Pannonia gloriatur, . . . in obedientiam tradidi, ut archiabbatis S. Martini et totius eiusdem loci conuentus cum

filiis ecclesiae unanimi electione Abbas in eodem obedientiae loco praeponatur.“ Concors hic est regis, regni primatum, et dioecesani episcopi sensus de loco nativitatis S. Martini, de reuerentia et sanctitate loci ipsius, quae verba diplomatis cum diplomate S. Stephani et Legendae consonant, quia omnium trium fons liber regius fuerat. Sed quod cum primis notandum censemus: Ipse Iauriensis episcopus parochianus, dux et auctor est Walfero ut praemissis de causis abbatiam de Gissing S. Martino in obedientiam tradat.

Superest Diploma IV. id est urbarium Belae IV. regis de 1260, quod brevi adnotatione eo libentius subsequimur, quum eius verus sensus et sincera locorum topographia nos pluribus annis attentos tenuerit et sedulo occupaverit. Iam si priora trina diplomata locum originis S. Martini universim viciniae nostrae asseruerunt: magister Albeus, archidiaconus Nitriensis, ut ait rex, vir circumspectus, providus, et discretus, inter reambulationem pressius ipsum Sabariae locum digito monstrat. Reambulatio vero inchoat ab ipso monte sacro Pannoniae, deinde ad orientem Hymud alias Nelka, nunc Nyalka; infra Tapan nunc Taap nominat. A meridie montis Toryan esse dicit. Memorato capite i. e. fonte Pannosae, quem antiquissimum chronicon „fontem Sabariae“ nuncupat — in dextra ripa rivuli ad occidentem metationem proseguendo ait: „dein protenditur terminus eius usque Sabariam, ubi dicitur natus Sanctus Martinus; serius continuando cursum versus sacrum montem ait interpositam villam Ohsun, tandem Olsuk, quod inferiorem arcem S. Martini, olim Pannoniam, aut curiam inferiorem vocatam notat. Hanc ad unum milliare se porrigentem regionem inter Olsuk et Toryan nos plus duodecies curiose et naviter perlustravimus. Invenimus ibi locum cum adhuc 40 domorum vestigiis, quem circumhabitantes coloni „Faluhele“ locum deserti pagi nominant. Quia vero in hac dextra ripa

rivuli Pannosae nullibi tot aperta rudera romanorum vestigia, tanto numero nummi romani, vasorum coctae terrae, quorum margo S A B literarum stigma refert, et hic loci confecta etiam quarzi et graphitis frustra arguunt: hinc et quia non longe dissitus locus Ohsun sequebatur, ductu diplomatis nostri Sabariam nostram hic sitam fuisse, agnoscimus <sup>1)</sup>. Haec quidem, si qua adhuc diplomatibus auctoritas, certa sunt; ad illa vero, quae praesertim de paterno fundo sancti praesulis subsequuntur, verba B. Alcuini velut clypeum praetendimus: „Hanc habeto interpretationem, donec meliorem invenias vel veriore“ (l. c. p. 876.)

De cultu Sancti Martini in Hungaria vel ipsa locorum multitudo (45 numeravimus) eius nomine insignitorum, sed et facile centum templorum sancti memoriae dicatorum (inter haec Posonii ecclesia collegiata) testantur. Speciatim vero in sacro monte Pannoniae cathedralis basilica nunc iam antiquo suo decori illustr. archiabbate et archiabbatiae capitulo connitente magnis sumptibus restituta. Ne quis autem horum causa nobis

---

<sup>1)</sup> Qui nobis Sabariam in provincia Castriferrei sitam — (quacum nobis per octo saecula nec minima quidem coniunctio, nam archivi nostri diplomata de hac altissimum silent) — opponunt: tales serio rem non agere inde advertimus: dum callide quidem, at parum considerate nos incuriae natalium S. Martini insimulant (*Revue des Sciences Eccles.* 1876, p. 115); dum praeter Sabariae nomen nullum ex antiquorum traditione testimonium producant; dum sincera et veneranda regum et pontificum diplomata futilibus rationibus explodunt; dum Ioannis II. Iauriensis Episcopi privilegium de anno 1525 contra fidem publicam Ioanni I. de anno 1407 (*ibid.* p. 222; erravit in 1400) subtrudunt; quod quia sacerdotes serio fecisse nobis persuadere nequivimus, neque nos huiusmodi serio reprimenda arbitramur. Imo excusamus etiam Ioannis II. Episcopi Iauriensis favorem in suae Dioeceseos Sabariam, quem magis convicerit Bonfinianae inventionis et narrationis amoenitas, quam tunc necdum ante fores ecclesiae cathedralis crematae Iauriensis legendae saepe stridula latinitas. Sed non est huius loci lustrum (dixerim desinfectionem) historiae nostrae curare.

succenseat, parsimoniae enim nostrae, quae magnum semper vectigal, fructus erant; condiditur vero illud Martini pallium usque in hunc diem redituum duabus tertiis in proximum depensis. Reconsecrata (1876, 27. Aug.) per emin. Cardinalem regni primatem, personam regis apostolici qua patroni archiabbatiae regiae vicesgerente serenissimo archiduce Iosepho.

Iam ipse dies sancti Martini Nov. 11. festus cum octava celebrabatur per totum Hungariae regnum, testibus antiquis XIII.—XV. saeculi missalium calendariis et mos iste duravit usque 1754.

Ad fovendam vero populi in sanctum devotionem, multum contulerunt inde a saeculo XIII. in festivo die et octavis S. Martini concessae indulgentiae: 1247, 18. Ian. Innocentius IV. „Abbate et conventui monasterii Sancti Martini de Pannonia. — Cupientes igitur ecclesiam monasterii vestri ad romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ob beati Martini merita, cuius est vocabulo insignita congruis honoribus frequentari omnibus vere poenitentibus et confessis qui ecclesiam ipsam in die dedicationis (Dominica II. mensis Octobris) eiusdem et festivitatis dicti sancti venerabiliter visiterint de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniunctis sibi annis singulis misericorditer relaxamus.“ Capsa 35. lit. G. — Idem Innocentius IV. 1251. 27. Iulii, renovat. Capsa 35. lit. H. — Alexander IV. 1255. 8. Oct. „Dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Martini supra Pannoniam, ad romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Benedicti — — — in festo eiusdem Sancti (Martini) septem diebus sequentibus et in anniversario dedicationis ipsius ecclesiae, annis singulis annum unum et 40 dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.“ Capsa 35. lit. I. etc. etc. Festivus dies et indulgentiae in hodiernum usque diem hic loci vigent.

Adest in antiquissimis patriae nostrae saeculi XIII.—XV. missalibus libris Tropus ille de Sancto Martino, e Francia ad nos derivatus: „Sacerdotem Christi Martinum cuncta per orbem sonat ecclesia etc.“ Iam sanctus Ladislaus rex, inter libros monasterii S. Martini anno 1093. recenset: „Duos sequentiales cum trophis.“ Servati sunt de saeculi 17-mi hymnis hic in Sancti Martini ecclesia cantari solitis quatuor, in quibus S. Martinus qua regni Hungariae patronus, in octo aliis veteribus hymnis flos ducum, summus capitaneus contra hostes paganos (Turcas) invocatur.

Prima imaginis S. Martini mentio fit in vexillo sub quo contra Cupam pugnatum est. Altera vero imago S. Martini in catacumba ecclesiae ad laevam altaris in pariete picta, exhibet S. Martinum in faldistorio sedentem, una draconem fugantem.

Inventarium rerum ecclesiasticarum pertinentium ad archiabbatiam S. Martini anni 1604. Capsa 61. lit. CC. „Cappa coelestini coloris cum propendulo (clypeo) aureo signi S. Martini.“

Imago quondam super portam maiorem ad ingressum procincti monasterii; item super porta ecclesiae speciosa in parte meridionali. Utraque equo insidentem Sanctum Martinum et chlamydem egeno dividentem exhibet. Non aliter et antiphonalis saec. 14. pergameni imago. — Probabile est statuum illam unius metri altitudinis, quae de gypso formata arae maiori imposita fuit, post discessum Turcarum 1683. paratam fuisse. Exhibuit illa S. Martinum militem galeatum sine equo, cum paupere chlamydem dividentem.

Sed iam contrahemus vela, si demum uno exemplo probaverimus, quam fluxa sint omnia, etiam maxima cura exarata: Inventarium ecclesiae S. Martini de a. 1759. fasc. 26. nro 41. sic habet: „44. Par specialium eleganter excusorum candelaborum argenteorum pro summa ara, altitudinis 4 pedum; praeferunt in pede

tricollem, in cuius medio assurgit statua unius pedis alta divi Martini prout adhuc catechumeni et militis, casside ornata, et gladio partem pallii praecedentis; cui ex utraque parte mendicus pariter excusus eiusdem quantitatis ad pedes prostratus iacet cum fulcro; tricollem pedis sustentant tres excusi anseres alis expansis. Intra brachia tricollis exhibentur tria scuta: 1. quidem referens excusum insigne Ungariae, 2. archi-coenobii, 3. abbatiale. Altitudo excurrens circa medium exporrigit in duos anseres ad laevam et dexteram capite suo extenso quibus candela imponitur, medium vero per modum stipitis adhuc in tantum assurgit, cuius summitati in formam rosae excusae, tres aquilae alis expansis sunt subnexae, supra medium est excusa cassis, iuxta quam a dextris sacra, a sinistris militaria insignia excusa prostant. Quodlibet candelabrorum una cum virga ferrea ipsis interne inserta (ponderante circiter duas libras) ponderat 36 libras. Ergo demptis quatuor libris ferrearum duarum virgarum, simul duo candelabra efficiunt 68 libras.“<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Quoad illa duo candelabra notamus: Ministrata materia argenti, artificii iuxta contractum solutos fuisse ter mille florenos. — „Instrumentum vero resignatorium (authenticum) sacrae supellectilis pretiosorum, fasc. 26. anno 1786 per Iosephum II. sublato ordinis, ad num. 27.: Duo candelabra 1968 semiunciar., probae 13. aestimata fuisse in 1972 florenis et 45 cruciferis, atque liquationis officio tradita fuisse.“ Ad illam S. Martini casulam vero idem instrumentum nro. 59. ait: 9 casulae, 1 stola, 3 calicum vela auro argento pictas, et gemmis unionibusque ornatas, quas S. Stephani putabant, cum reliquiis de S. Emerici pallio.“ — De his inquam idem instrumentum publicum in reflexionibus sine ambagibus dicit: „Ad 59. „Quorsum expositae a 13. florenis aestimatae Casulae devenerint? erui nequit.“